

SYFRIDVS SAXONVM REX.



Syfridus magni animi princeps apud Saxones regnauit, Anno creationis mundi 2960. Huius tempore Tosto quidam nobilis Pyrata Chersonesum Cymbricam inuaserat, atq; Saxones bello lacessierat. Itaq; Syfridus socijs opem ferens, cū hoste aliquoties decertauit. Cum autem utriuscq; uirtute bellum confici non posset, tandem fœdus inierunt, & coniunctis armis Hadingum, cuius potentia uicinis suspecta erat, bello petierunt. Ibi prælio commisso, Syfridus & socij superiores extiterunt. Verùm postea Danis fœdere iunctus, feliciter suā ditionem administrauit. Huiusmodi Teutonū res gestas Tacitus & Plinius penitus tacent. De quo

Albertus Crantzus in sua *Saxonia* lib. i. cap. 3. non immerito conqueritur. Ea que omnia uetustate & scriptorum penuria interiissent, nisi *Saxo-Danorum Historicus*, hęc ueterum annaliā monumentis conseruata, in literas retulisset. *Sax Gram.* lib. i.